

ARCHIGYMNASIVM  
REGIVM

AUTHORE


P. D. BONAVENTURA  
DE TVNDIS EVGVBINO,

Monacho Oliuetano, Sacrae Theologiae Doctore.

SACRATVM

AVGVSTISSIMO, ET IMMORTALI NOMINI,

CAROLI SECVNDI  
MONARCHÆ HISPANIARVM.



Neapoli, ex Regia Officina Saluatoris Castaldi 1680.

*Superiorum Licentia.*

# AUGUSTISSIME ET INVICTE REX.



**I**BI, AVSTRIADVM maximo, & Regum optimo, has meas elucubrationes, humiliter deuoueo; vt optimam indolem, quam à naturà fortitus es; arte, ac disciplinà, sapientissimam efficias; Vt talis sis, qualis esse debes; & qualem Te futurum præbes; hæc humiliter hortamenta transmisi; Nihil hic reperies, quòd Aui tui Augustissimi, & gloriosissimi non præstiterint; & quòd Tu (virtute tua Auspice) præstiturus non sis; in hac ætate minùs adultà, id solùm eniteris, vt recta semper agas: mala quæque abscindas, totus ad virtutes pronus; vt ad alta animum erigas; vt nulla fortunæ deliramenta formides, nullumq; tempus, ad illicita obtrudas. Quæ extrà animum sunt, extrà hominem ponis: nullum melius existimas viuendi genus, quàm vbi viuit vegetum rationis Imperium: Te ipsum, solius animi cultui deuoues; perturbationum æstu non abriperis: nullà calamitate infringeris; nec à sede rationis exturbaris, quibuscumque conflictatus aduersis; si talia, ac tanta, in ætatis flosculo præstas; quid præstabis adultus? Et cui nam alteri à Te, meos ipse labores sacrauero: cum nemo alter à Te exactiùs impleat numeros præstantissimi Principis, & Munifici Mecenatis? Tu enim ille es, qui illas

ARCHIGYMNASIVM  
REGIVM.



**H**OC firmum statuas in corde tuo (In-  
uicte, & Excelsæ Rex) recedere sem-  
per à malo, sequi probitatem, ambu-  
lare per vias rectas, & in omnibus  
placere Deo. Animator ad fugien-  
da noxia, ad mundi fallaces dolos  
euitandos, ad despumantis huius maris fluctus decli-  
nandos, ad blandas voluptates superandas. Cœlestia  
concupiscito, Te teque ex imis ad summa erigito.  
Conuerte animum à caducis, & fluxis, ad permanen-  
tia, vt palmas immarcescibiles, & coronas incorrup-  
tas possideas. Concipe semina sanctarum cogitatio-  
num. Sis bonorum operum sectator, & cœlestium di-  
uitiarum cupidus. Ne tradas te in passiones cupidita-  
tum, & deceptionis sensus, Deique gloriam, in pro-  
prium ne commutes. Abalienatus à veritate mundus  
est; id exploratissimum habe, nec te lateat, Orbis ter-  
rarum faciem, nefandis maculis conspurcatam; Ope-  
ram impende, vt pax, iustitia, veritas à Mundo exu-